



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXIX. De Clericis peregrinantibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

159 Ecclesiasticis can. 1. V. Nam si tale, dist. 20. can. Nomen, can. Denique cit. & c. In-  
timâsi 68. hic, firmata, & usu quoque,  
licet minùs, quàm olim crebro, retenta est:  
dummodo debitò modò fiat.

160. Ad eam enim requiritur Primò; ut  
plenam & omnibus facti circumstantiis  
perspicuè propositis & utriusque partis  
allegationibus perfectam totius causam  
instruccionem contineat, & unà cum Actis  
ad Principem transmittatur, l. 1. & l. fin.

161 C. de Relat. ne iste, quid rescribat, ambi-  
gere possit. Secundò; ut litigantium pars  
utraque consentiat: & propterea, ante-  
quam ad Principem transmittatur, rela-  
tionis exemplum, seu copia ipsis edatur;  
ut, si quid fortè minùs verè, aut plenè ex-  
pressum invenerint, id supplere, vel, li-  
bellò refutatoriò adjunctò, aut Principi  
oblatò, redarguere valeant: vel, tanquam  
ipsa relatione gravati, appellare, c. cit.  
l. Super 2. C. de Relat. & l. fin. cit. Tertio;  
ut relatio fiat ante sententiam definiti-  
vam, l. 1. cit. Nisi causa sit Criminalis;  
in hac enim post latam sententiam, ante-  
quam executioni mandetur, Princeps con-

fuli aliquando solet, an illam oportet  
exequi, l. Inter 6. §. 1. ff. de Interd. &  
releg. cit. Speculat. §. 4.

Relatione rite factâ perinde, ut Ap-  
pellatione interpositâ, plenè conquisit  
& suspenditur jurisdictio inferioris; ut,  
donec quid sequi oporteat, remissione si-  
ve rescriptò Principis referatur, neque  
procedere, neque aliquid immutare, ne-  
que in causâ merita inquirere valeat; &  
quod interea innovat, irritum habeatur,  
c. Licet cit. junctâ Glosâ, V. Translati-  
rat, cit. Speculat. §. 5. n. 1. Gonzalez in c.  
cit. num. 8. & Bruneman. in Auth. Novo  
cit. n. 4.

Hodiernis moribus rariùs ad Prin-  
cipem: frequenter autem recurri solet ad  
Jurium peritos, & Academica istorum  
Collegia, eorumque super Juris dubiis,  
in Civilibus & Criminalibus causis, re-  
quiri consilium: quod, donec reportetur,  
perinde ut relatione Principi præsentatâ,  
quasi suspensa jurisdictione, circa cau-  
sam nihil innovatur, cit. Vallens. n. 5.  
& Bruneman. in l. 1. cit. n. 11.



# TITVLVS XXIX.

## De Clericis Peregrinantibus.

### SUMMARIUM.

- 1. Vim appellationis habet iter ad Pa-  
pam,
- 2. Arreptum intra decendium à lata sen-  
tentia &c.  
Ut nihil etiam in iudicio valeat in-  
novari.

- 4. Arreptum post decendium iudicium  
non ligat.
- 5. Romipetas offendentes excommuni-  
cantur.

**A**ppellationis vim & effectus ha-  
bet Professio ad Sedem Apo-  
stolicam, ex rescripto Caele-  
stini III. c. Unico bis; cum ad-  
verius

versus eum etiam, qui intra decem dies à lata sententia vel gravamine illato: uti & adversus eum, qui litem sibi moveri intelligens, antequam citatione præveneretur vel causæ commissionem factam cognosceret, ad summam illam Sedem iter ingressus est, vel nuntium direxit, perinde ut, si ad eam, provocasset, procedere delegatus, imò & ordinarius iudex non possit, *c. cit. c. Meminimus 9. & c. Adhuc 30. de Appellat.* Quare talis ipsò factò sive itineris ingressu aut nuntii destinatione ab ejusmodi iudicis jurisdictione eximitur; ut, sicut, appellatione pendente quoad articulum, in quo provocatum est, ita durante processione in proficiscentis præjudicium nihil valeat innovari, *cc. cit.* dummodo iter iudici vel parti intimatum & acceptum sit intra decem dies à lata sententia, vel gravamine illato, aut ante citationis insinuationem & notitiam delegationis, Scaccia *de Appellat. q. 6. n. 46.* Vallens. *ad hanc Rubric. num. 2.* & Barbosa *in c. Unic. cit. n. 2.* Ratio est; quòd talis, licet non verbis aut scripto, ipso tamen factò ad Sedem Apostolicam appellasse videatur, *c. Dilecti 52. de Appellat.* Et eum, qui ad sedem illam ingressus est iter, cum rebus suis securum sub protectione esse oporteat ejus, cui se commississe à Jure præsumitur; ut adversus eum nihil, tam extra, quam in iudicio, valeat attentari.

Neque ista excedunt dispositionem Juris, *c. Unic. cit.* ne verbo quidem mentionem facientis, adversus peregrinantem Attentatorum in iudicio; esto enim hoc ita sit, aliis tamen Juribus etiam hæc comprehendi perspicuum est, ex *cc. cit. & c. Cum causa 22. de Offic. deleg. & ex generalitate rationis; quòd ii, qui ad Sedem Apostolicam accedunt, sub istius pro-*

tectione cum rebus suis debeant esse securi: quæ redditur, *c. Unico cit.* & ad omnia contra Romipetam attentata se extendit; ut proinde, secundum favorabilem & aliis textibus consonam ejus dispositionem, contra hunc etiam in iudicio intra decendum à prolatione sententiæ, & post arreptum iter Romanum attentata, sint revocanda: sicut, quantumvis ejus textu expressè sermo sit de Presbytero & Rubrica *da Clerico* loquatur, ejus tamen dispositione quoscunque etiam Laicos, Romanum iter ingressos, comprehendit, ut cum Panormit. *in Rubric. n. 1.* notant Laiman. *in c. cit. n. 3.* & Pirrhing *ad eandem Rubric. n. 3.*

Dixi, *Intra decem dies;* quia post decendum à sententia lata aut illato gravamine jam lapsum, arreptum iter non impedit sententiæ executionem: neque etiam, quòd minus iudex in causa contra eum moveri cepta procedat, si iter accipiat, postquam iam præventus est citatione: etsi contra ipsum ante citationem iter ingressum procedere non potuisset, *c. Meminimus cit.* Cujus ratio est; quia iudicium, ubi acceptum est, ibi & finem accipere debet, *l. Ubi 30. ff. de Judiciis:* & generaliter ad subterfugiendum coram aliquo ceptum negotium, in jus vocatio nihil prodest; quòd postea forum alibi caperit sortiri, *per l. Si quis 7. ff. eadem Rubr. & c. Proposuisse 19. de Foro compet.* Imò processio Romana etiam non patrocinareretur ei, qui iter primùm arriperet, postquam habuit notitiam litterarum Apostolicarum, ab adversario contra se ad delegatū impetratarum; quòd id malitiosè non tam ad removendum gravamen, quam ad justiciam opprimendam arreptum præsumptio sit, *c. Suggestum 15. de Appell. Ubi Panorm. n. 2. & 3.* Eorundem Romipetarum favorem

G g g

e iam

etiam spectant Bullæ Coenæ *Can. nonus & decimus*: quorum priore in eos, qui ad Sedem Apostolicam ejusque Curiam accedentes, ab eâve recedentes, suâ vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, capiunt vel detinent: posteriore in eos, qui ad Urbem devotionis seu peregrinationis causâ accedentes, in ea commorantes, ab eâve recedentes occidunt, mutilant, capiunt, detinent aut deprædantur: uti & in eos, qui talia temerè præfumentibus auxilium, consilium, aut favorem præbent, latæ sententiæ & Sedis Apostolicæ absolutioni reservata excommunicatio quotannis promulgatur. Inter quos Bullæ Canones seu casus, etsi videantur similes, non una tamen diffe-

rentia intercedit; cùm prior eos, qui litis prosequendæ vel negotii expediendi v.g. tributi solvendi, vel beneficii, privilegii, dispensationis aut alterius gratiæ impetrandæ: posterior illos spectet, qui devotionis, sive peregrinationis ad limina Apostolorum, causâ Romam petunt; & illò, qui Romipetas interficiunt, mutilant, capiunt vel detinent: istò etiam, qui eosdem violentâ bonorum ablatione deprædantur: atque insuper, qui horum aliquid facientibus auxilium, consilium aut favorem dant, Censurâ illâ afficiantur, Suarez de Censur. disp. 21. f. 2. à num. 65. & Palao Tract. 2. p. disp. 3. p. 10. & 11.



## TITVLVS XXX.

### De Confirmatione Vtili vel Inutili.

#### SUMMARIUM.

1. Varii actus à Superiore confirmantur,
2. In forma communi & ordinaria,
3. Vel in extraordinaria & speciali.
4. Unde confirmatiō in posteriori hac.
5. Et in priori forma factam, cognoscatur.
6. Confirmatio communis actum validum roborat.
7. Specialis etiam invalido vim confert:
8. Nisi eam sine prævia cognitione factam constet.
9. In dubio confirmatio presumitur esse communis:
10. Cujus plures sunt effectus.
11. Privilegii innovatione materialis ejus tenor conservatur:
12. Formali eò quæsitum jus firmatur:
13. Aliquando novum conferitur aut amissum recuperatur.

**S**æpe contingit sententiam, à qua provocatum est, à superiore confirmari: & aliquando quidem à lege vel canone, eam firmam esse jubente, v.g. propter appellationem negligentiam partis desertam: aliquando ab ipso iudice, à quo provocatum est, appellationem frivole interpositam aut sententiam in rem judicatam transisse declarante: